De animi affectu atque consilio, quo Q. Horatius Flaccus carmen II, 14 composuisse videatur,

scripsit

Dr. Christian. Guilelm. Haun,

Gymnasii Director.

Quicunque Q. Horatii Flacci carminum interpretes et veteris et recentioris temporis, qui in omnium manibus esse solent, paullo accuratius inter se comparaverit, non poterit non mirari, interpretum discrepantiam non solum in singulis vocibus sententiisque explicandis, sed etiam in ipso carminis cujusvis argumento exponendo tantam esse, quantam vix quisquam exspectaverit in carminibus tam parvi ambitus, et maximam partem tam perspicue scriptis, ut cuique ea primum legenti non nimis difficilia intellectu esse videantur. Cujus rei causae si quaeruntur, duae maxime ad omnis generis carmina pertinere videntur, quarum altera sita est in ipsius poeseos indole ac natura, qua poeta intimi pectoris sensa vel summi ingenii cogitata non tam apertis verbis dicere, quam singulari arte dictionis sublimioris pulcherrime ornare atque hoc ornatu quasi velare solet, de qua poeseos natura conferri merentur, quae G. Hermannus in Vol. I. Opusculorum in dissertationibus de poeseos generibus et de differentia prosae et poeticae orationis more suo docte et dilucide exposuit; altera autem cernitur in eorum, qui carmina vel audiunt vel legunt, diversa natura, quae duplicis generis est. Sunt enim, qui animo potius, quam mente putent excipienda esse effata poetae, atque, quum haec maxime pectoris sensa sint, ea solo pectore sentire et jam hac ipsa sentiendi facultate delectari cupiant. Ad hos pertinet maxima multitudo eorum, qui nostratium poetarum carmina legunt, quae, quum patria lingua scripta sint, satishabent legisse ac communi intelligendi facultate percepisse, quod ipsum intelligere appellant. Sed, si quando de aliqua re quidquam accuratius quaesiveris, facile videbis, lecta et animo ac mente percepta, non intellecta esse carmina. Quin adeo non desunt, qui dicant ipsos poetas velle sentiri tantum, non intelligi, neque explicari. Sed haec videntur argutius quam verius dicta esse. Nam etiamsi nos non recte

poetam moneremus, ut dicat, quomodo sua effata intelligi velit, quoniam recte responderet, se quae divino quodam afflatu conceperit elocutum esse; jam nostrum esse ea excipere, quantum possimus: tamen hoc ipso responso recte fateretur, hac nos omnes lege teneri, ut, simulac quis ingenio suo obsecutus aliquid nobis vel audiendum, vel conspiciendum tradiderit, non jam penes ipsum auctorem, sed penes nos sit, utrum subsistere velimus in primo quasi aditu atque acquiescere in sola voluptate id, quod nobis traditur, accipiendi, an ad omnem ejus rei naturam et artem cognoscendam tantum progredi velimus, quantum possimus. Neque igitur desunt, qui et intelligere carmina velint, i. e. singularum sententiarum, dictionis formarum, consiliorum atque idearum sibi conscii fieri cupiant. Quod quidem omne studium maxime doctorum hominum est atque omnium maxime in magistros ac praeceptores cadit, qui, quod aliis explicandum susceperint, antea a se ipsis optime intellectum esse volunt. Sed tamen hi quoque varii generis sunt. Alii enim pro varia omnium animi ingeniique virium indole ac natura et pro diversa studii alacritate id aeque facere vel nequeunt, vel aeque nolunt. Variis igitur intelligentiae ac studii quasi gradibus insistunt, ita ut alii in inferioribus gradibus subsistant, alii altius ad superiores ascendant, quod ab his quoque fieri poterit pedetentim tantum, ita ut suum quaeque aetas ac vis qualibet aetate exculta peculiarem gradum habeat. Qui vero altius adspirant, ii tandem pro varia eruditione ac doctrina, pro diversa facile sentiendi, acute cernendi, subtiliter judicandi, divinitus augurandi facultate tantum spatium, in quod exspatiari possint, sibi patefactum vident, ut alii aliis rebus intenti esse, caeteras minus curare soleant. Quare non est quod miremur, si raro plures in eandem sententiam convenire, saepius plurimos in omnes alias partes discedere animadvertimus. Quae igitur ex causis in ipsius poeseos indole ac natura atque in vario hominum carmina legentium animo ingenioque latentibus proficiscuntur discrepantiae in carminibus explicandis quum vix umquam tolli prorsus posse videantur, aequius tolerandae erunt.

Sed tamen aliud dissensuum ac discrepantiarum genus est, quod minus videtur ferri posse. Licet enim hoc non solum libenter concedendum sit, ut pro suo quisque studio aliud conferat ad Horatii carmina explicanda, aliud praetermittat, sed etiam quum tot tantisque rebus investigandis haud facile unus par sit, grato animo accipiendum, quod alii subsistunt in metrorum ratione constituenda, alii in sermonis usu docendo, alii in poeticae dictionis indole explananda, alii in singulis sententiis eruendis, alii in rebus mythicis et historicis explicandis, alii in tempore, quo quodque carmen scriptum sit, definiendo, alii in occasione, qua usus sit poeta, exponenda, alii in personis, ad quas data sunt carmina, depingendis, alii in arte critica factitanda ad textum ita constituendum, ut varietate lectionis ne laboret ac titubet, alii in aliis rebus perscrutandis: tamen hoc jure quodam exspectare posse nobis videmur, ut, qui tantis multiplicis eruditionis thesauris adjuti atque sustentati sunt, ad eum summum quasi intelligentiae atque explicationis gradum ascendere nitantur, quo ad omnem poetae artem explicandam tandem constituerint investigare, quo consilio quove animi affectu poeta carmen composuerit, quis color sit dictionis, quae unitas ideae

vel quae summa sententia quodve thema propositum, uno verbo, quae vera sit carminis indoles ac natura. Haec omnia si quis distincte atque accurate proposuerit, id efficiet, ut ne nimis dubia videatur opinio de his rebus, nec nimius dissensus sit vel nimia discrepantia talium interpretum.

Verum enimvero non solum hi interpretes saepe mirum quantum inter se dissentiunt, sed etiam alii viri doctissimi conqueruntur de nimia difficultate ex hoc illove carmine commodum sensum eliciendi, et fatentur, se in constituenda carminis idea sibi ipsos satisfacere non potuisse.

Quod quum accideret et Peerlkampio,*) viro doctissimo, qui Horatium jam a

---

*) Peerlkampio, viro non solum acutissimi ingenii subtilissimique judicii, sed etiam, quod his virtutibus accedit maximum decus, eximiae temperantiae atque amabilissimae modestiae, non reperio, quibus verbis satis dignis utar ad significandum, quanti eum faciam. Inde enim ab eo tempore, quo in praefatione vel potius dedicatione Operi absolutissimo praemissa cognovi, quantam, quam indefessam ac perpetuam operam non solum, quod raro fit, huic uni scriptori, sed etiam, quod rarius fieri solet, uni studio ejusdem scriptoris navaverit, quam insignem inierit consuetudinem cum omni poetae oratione, quam diu sibi diffisus sit, quas auctoritates virorum in arte critica celeberrimorum conquisiverit, quantam diligentiam et assiduitatem in colligendis gravissimis validissimisque suarum conjecturarum argumentis adhibuerit, quam caute in hac lubrica via ingressus undique circumspexerit, ne vestigiis nisi certissimis insisteret, quoties denique in illum nonum Horatii annum opus Horatianum presserit, tanta mea fuit veneratio Viri summe Venerandi tantaque admiratio Viri doctissimi atque humanissimi, ut nihil aegrius tulerim, quam quod is vir, quem summo amore amplectendum atque promta fiducia salutandum fuisse censueram, hic illic non tanti aestimari vidi, quanti certe propter illas virtutes meretur. Cujus rei causas aequiores iniquioresque animadvertisse mihi videor. Illarum altera haec est, quod omnes libentius sibi quidquam novi dari vel antiqui conservari, quam abripi et tolli vident quae diu cara fuerunt, ita ut eum, qui illud fecerit, potius restitutorem ac sospitatorem, qui hoc ausus fuerit, destructorem nominent. Altera causa est, quod ipse auctor, quum non singula loca singulis temporibus suspecta ostenderet, ubi facilius huic illive rem suam persuasisset, sed totum opus ita recensitum ut perfectum absolutumque proponeret, uno quasi ictu nimium dedit, quam cui accuratius in omnibus singulis partibus examinando multi statim pares esse possent. Viderunt enim recte, tantis studiis totque argumentis gravissimis et acutissimis non decere quidquam aliud opponere, nisi aeque magna studia atque argumenta ejusdem ponderis atque acuminis; hoc autem esse tanti laboris tamque diuturni studii, quanto suscipiendo paucissimis satis otii datum sit. Quam largam enim ille materiam praebuit accuratius examinandi de latinitate falso aut merito suspecta, quam largiorem investigandi de legibus, quibus, quid Horatio dignum, quid indignum sit, constituatur. Aequissimum igitur erit, ut non dubitemus fateri, neque probare, neque improbare nos posse ejus ingeniosissimas conjecturas, priusquam eas justa lance pensitaverimus. Minime autem decet, praepropera dubitandi libidine animum ab eo abalienare, vel uno verbo citius dicto quam probato iniquius judicium ferre. Quid enim est, quod dicunt Horatium ab eo mutilatum et magna parte carminum privatum esse? Non enim ita grassatus est Vir modestissimus contra suum Horatium, ut subito ejiceret vel perderet locos illos suspicaces, sed tantum notavit. Sed hoc sapienter vidit, etiam oculis subveniendum esse ita, ut spurii loci obliquis typis expressi jam quasi suspectum vultum prae se ferentes se ipsi prodant. Melius fortasse juxta se ponerentur duo textus, quorum alter esset receptus, alter emendatus. Quid denique est, quod multi tenaciores in fide MStt. veterum auctoritati habenda timent, ne hac ita concussa omnia labantur ac mox nullum plane fundamentum, cui tuto insistas, relictum sit? Nonne, quando dubium se ostenderit fundamentum, eo accuratius investigandum erit, ubi recte confidere possis, ubi nequeas? An sapientis

puero amatum in succum et sanguinem vertisse atque ut digitos novisse sibi videbatur, causas hujus rei accuratius investigare coepit, et quum illas difficultates neque ex obscuritate scriptoris, (quam enim polite atque eleganter scribere solitus sit, non solum ex ipsius ore audimus, sed etiam in sermonibus et epistolis probatum videmus), neque ex interpretum inscitia, neque ex varietate lectionis profectas esse posse intellexisset, deductus est eo, ut suspicaretur, carmina multis locis interpolata esse. Itaque quum versibus spuriis sagaciter et diligenter investigatis rem suae exspectationi ita respondere videret, ut sententia fieret perspicua et melior, atque oratio magis latina, negotium feliciter inchoatum persecutus est per omnes quinque libros carminum, atque postquam diu editionem distulit, donec sibi satis persuasum haberet, se omnia loca genuina intacta reliquisse, omnia adulterina deprehendisse, tandem carmina ita recensita additis notis maximae doctrinae ac sagacitatis, quibus causas suspicionis exponeret, Harlemi a. MDCCCXXXIV. edidit. Quo plus autem et utilitatis et voluptatis ex hoc opere summi studii atque egregiae diligentiae concepi, quod grato animo profiteri mihi religioni est, eo magis dolui, eum substitisse in hoc negotio facessendo, nec progressum esse ad eum finem, cujus ipsius causa hoc omne opus utilissimum susceperat, i. e. ad eam carminis cujusque sive pro genuino declarati sive emendati indolem ac naturam definiendam vel summam ejus sententiam exponendam, in qua quivis sapienter carmen legens ita acquiescere possit, ut non amplius conqueri debeat de tanta interpretationum discrepantia. Nimirum omisit hoc V. D. propterea, quod, quum omnem ejus sententiae, quae a poeta ipso proposita cogitari possit, inveniendae difficultatem ex interpolationibus, quibus carmina corrupta essent, nasci putaret, spem subito concepit, fore, ut, dummodo omnibus locis adulterinis ac spuriis sublatis carmina tandem pura atque genuina facta fuerint, etiam sententia ita dilucida fiat, ut per se recte intelligi et possit et debeat. Itaque Horatium emendare maluit quam vulgari modo explicare, quippe qua explicatione emendatus Horatius non amplius egeat. Quod cur ita judicaverit, his verbis pag. XXIV exponit: „Si Horatius tam obscure et negligenter scripsit, ut centeni homines eruditi sententiam carminis et singulorum versuum probabiliter explicare non potuerint, legi non dignus est.“

Sed quamquam, quod illa conclusione facta deductus est ad spuria loca investiganda, vehementer gavisi sumus, tamen non potuimus non dolere, quod nimia illa illa fiducia et in Horatio dilucide scribente, et in interpretibus doctissimis posita

---

est, quietis causa tantae socordiae se dare, ut nescire velis, quibus incertis, putrefactis fragilibusque fundamentis insistas? Fac autem, quemadmodum id jam in multis aliis operibus vel operum partibus demonstrari potuit, etiam hic aliquando rem eo posse deduci, ut de spuriis locis interjectis nulla dubitatio relinquatur, nonne vel dimidia pars carminum puro sermone latino, dictionis elegantia, sententiarum dignitate, perspicuitate, venustate insignium pluris facienda erit, quam copia duplo major carminum latinitatis barbarie, dictionis inconcinnitate, sententiarum humilitate, obscuritate, perversitate inquinatorum? Nostra enim plurimum interesse debet, ut auctores veteres habeamus purissimos, ne pro aptis inepta, pro veris falsa, pro rectis prava, pro bonis mala doceamus.

eum prohibuit, quominus, quid sibi visum sit de cujusvis carminis indole ac natura, nobis exponeret. Id enim forsitan nobis non reticuisset, nisi haud dubie interpolationem solam et attulisse difficultatem intellectus et impedivisse consensum interpretum sibi persuasum haberet indeque sperasset, emendationem solam allaturam esse recte intelligendi necessitatem et impedituram dissensum interpretum. Sed quemadmodum versus spurii genuinis intermixti, nisi forte nimis inepti sunt, non tam consensum interpretum impediunt, quam falsam tantum sententiam i. e. aliam, quam quae vere a poeta proposita est, praebent, ita etiam carminis emendatio non tam dissensum impedit vel tollit, quam facit tantum, ut nunc vera sententia inveniri possit; ut autem vere inveniatur, nondum efficit.

Quare etiamnunc non minus in genuinis quam in emendatis carminibus et est et erit illa interpretum discrepantia. Iterum igitur causa hujus rei eo consilio investiganda est, ut cognoscatur, num forte causa inventa etiam novam viam monstret, qua hae incommoditates minui possint. Ad causam autem inveniendam jam nobis ita concludendum esse apparet, ut dicamus: quum culpa non amplius sit in textu carminum, quippe qui olim quidem corruptus, nunc autem emendatus sit, culpam jam positam esse non posse nisi aut in poeta, aut in interprete, aut in utroque. Atque res vere ita se habet. Namque Peerlkampius recte quidem et negat Horatium obscure scripsisse et noluit interpretes doctissimos inscitiae vel ignorantiae incusare; sed si et illam omnis poeseos indolem, et variam illam omnium hominum carmina legentium et explicantium naturam reputaverit, facilius, arbitror, concedet, partim ipsam carminis et aliena lingua scripti et res nimium remotas exponentis naturam quasdam obscuritates afferre, partim ipsos interpretes, etiamsi sint doctissimi, tamen multa alia culparum genera admittere posse, qualia sunt negligentia, incuria, subitaria cogitatio, praetermissio, error, eruditio denique forsitan ad omnia alia doctrinae genera aptior, quam ad summam carminis sententiam et poeticam indolem exponendam.

Jam vero carmen II, 14 mihi tractandum sumpsi. Illud in iis est, quae Peerlkampius genuina esse censuit. Cujus carminis vera sententia si nondum inventa esse videbitur, causa vel in interpretum culpa, vel in ipsa dictionis latinae et poeticae natura quaerenda erit.

Primum igitur iis, quae interpretes peccavisse videantur, expositis arbitror facilius intelligi posse, qua via ingrediendum sit ad carmen recte et intelligendum et explicandum. Quare jam recenseam argumenta in iis editionibus carminum proposita, quae mihi in promptu fuerunt.

Brevissima quasi argumenta sunt vetustissimae illae inscriptiones, quas e Braunhardi editione refero. Ibi est inscriptio Mentelii „de brevitate vitae.“ Eadem est Landini in commentariis editioni Basileensi a. 1555 additis, et Cod. Goth., qui habet „de brevi vita.“ Hic igitur ratio habita est unius illius vocis, qua v. 24 dominus brevis vocatur, neque ejus recte intellectae. Nam etiamsi concedamus, dominum hoc loco brevem dici simili sensu, quo II, 13, 3 rosa brevis et I, 36, 16 lilium breve dicitur, tamen non plane eodem sensu videtur dominus appellari posse brevis. Illi enim flores recte dicuntur breves, quatenus non diu fuerunt, vel quatenus tempus, per quod florent,

breve est; et sic possent fortassis homines quoque breves dici. At dominus dici non potest brevis, quasi omnino ejus ipsius vita brevis esset, sed quia, etiamsi diutissime vixerit, vel longissima vita fruitus sit, tamen non per longum tempus illarum rerum ipsi superstitum dominus fuerit, vel iis non diu fruitus sit. Posses igitur dicere, poetam hoc certe loco loqui de brevi usu rerum terrenarum, minime vero de brevitate vitae.

Magis miror, quod etiam Acron poetam queri dicit de vitae brevitate, quum statim hoc argumentum addat, quod nullus justitia vel pietate mortem possit evadere, quo quidem argumento non demonstratur, vitam brevem esse, sed, quod Venet. 1492. inscriptum habet, mortem esse inevitabilem. Jam plus significare voluisse videtur inscriptio membr. Marcil. de superstitione, quam haud scio an Braunhardus in parenthesi non recte explicuerit dicens: „i. e. metu mortis", siquidem haec sunt ipsius, non membr. verba. Quod autem a Porphyrione argumenti loco adnotatur poetam loqui de celeritate currentis vitae, id ad solum initium carminis pertinet; neque tamen ibi poetam loqui de omnis vitae humanae celeri cursu, postea videbimus. Lambinus (1571), qui argumenta brevissime et acutissime exponere solet, tamen hujus carminis partem tantum designat illo argumento: „Mortem evitari non posse." Idem facit Gualterus (Basil. 1587), qui, quod theticum appellare solet, hoc proposuit: „Postumum docet, nihil esse in his terris, quo possit homo a morte vindicari." Uterque igitur nec priorum trium versuum, nec ultimorum versuum 22 — 28 rationem habuit. Brevissima denique inscriptio Cod. Guelf. „Ad Postumum," quum hujus ipsius nominis duplici appellatione in v. 1. data ac commendata esse, nec quidquam argumenti prodere videretur, ita placuit, ut olim fere omnes editores carmen ita inscriberent; sed tamen dubito, an ferri possit. Neque usi sunt hac inscriptione recentiores editores; sed causa eam omittendi iis sine dubio haec fuit, quod eam pro additamento grammaticorum habuerunt, quum poeta ipse nullum carmen aliquo nomine inscripsisse videatur. Nemo eorum certe incongruam eam ipsi carmini appellavit. Sed tamen inquirendum erit, annon ipsius poetae consilio repugnet.

Vidimus igitur, veteres interpretes non anxie curasse, ut omnes carminis sententias una notione complecterentur, sed plerumque acquievisse in iis sententiis, quae praevalere viderentur. Jam examinemus, num recentiores singulas sententias rectius intellexerint, atque argumentis plerumque uberius expositis etiam universi carminis indolem ac naturam perspicue cognoscendam ostenderint.

Zeunianum argumentum, quod et Bothius retinuit, est: „Deflet humanae vitae brevitatem, et Postumo, rei familiari nimis attento, suadet, ut sibi, non heredi, vivat." Hoc Zeunius recte vidit, rationem habendam esse etiam haeredis; nullo autem verbo quidquam suadet poeta, nedum illud, ut sibi vivat Postumus.

Brieglebius *(Vorlesungen über den Horaz. Altenburg.* 1770) hoc argumentum dedit: *„Diese Ode ist ein Gemälde voll Empfindung von der Vergänglichkeit des menschlichen Lebens. Wir eilen stündlich dem Tode entgegen, dem wir nicht entfliehen können. Diese wenigen Ideen stellt Horaz der Dichter durch das ganze Lied anschaulich dar, und macht sie interessant, und zieht Folgen daraus, die er nur halb*

aufdeckt. Voll der Betrachtung, die er über seinen Freund und dessen vergebliche Sorgen anstellt, hebt er an:" etc. Ex his verbis et ex notis additis, quibus singulorum verborum et sententiarum vim et nexum docere studet, cognoscimus, Brieglebium fuisse virum vividioris ac calidioris animi, qui Horatii verbis utitur ad aliud quid docendum, i. e. ad vim imaginandi exercendam atque excolendam, ad sensus alacriores excitandos, ad cogitationes effingendas. Hoc quamvis utile esse possit et licet facile largiamur, ut qui hunc finem persequatur, carmine aliquo utatur tanquam textu, unde occasionem sumat talia exponendi, tamen hoc non est interpretari carminis sententiam. Tales enim interpretes, qui se aestheticos nominare solent, nimia imaginandi vi feruntur eo, ut potius quae dicta esse opinentur, quam quae vere dicta sunt, exponant, et, quum certas notiones mente concipere non possint, loco concisae atque bene distinctae orationis utantur potius vago, laxiore atque luxuriante dicendi genere, quo omnia confunduntur. Sic in illo argumento nihil fere est, quod non falsum sit. Quae enim dicit iste editor de fragilitate vitae humanae, de hominibus quovis temporis momento ad mortem propius accelerantibus, de iis, quae poeta inde concludat, sed ex dimidia tantum parte aperiat, de vanis amici curis, ea omnia aut opinatus est, aut ipse conclusit tantum; in carmine ipso non leguntur. Alia inanium phrasium usum testantur.

Jacob. Frideric. Schmidtius *(Horaz, latein. und deutsch mit Anmerkungen. Gotha. 1777)*, licet in multis locis sagacior sit, tamen aut in omnibus argumentis et sententiarum nexus expositionibus nimius esse solet, aut rem ipsam acu non tangit. Sic nostro carmine hoc contineri dicit: *Postumus wird ermahnt, das, was er besitze, vergnügt zu geniessen, weil er im Tode doch alles zurücklassen müsse.* Quae enim nulla adest adhortatio, ut Postumus vita hilariter fruatur, eam adesse contendit; omnium caeterarum sententiarum, quae adsunt, nullam mentionem facit.

Uberius quidem, sed non rectius exposuit argumentum Jani (edit. prima 1778), quod Mitscherlichius (1800) paene integrum in suam editionem transtulit, Preiss, ut caetera Mitscherlichii, in teutonicam linguam vertit. Est autem hoc: „De morte omnibus communi vitaeque brevitate atque hinc ducto illa perfruendi officio philosophiam toties jam tractatam hoc etiam carmine tractat H.; sed novo iterum more, nova conversione exornatam. Nam hic inprimis plenius exactiusque exprimit communes de morte et brevitate vitae locos, ipsa inde derivanda vitae praecepta parum attingit, sive, ut hodie loquuntur, praemissas tantum explicat, conclusionem inde colligendam amico ipsi relinquit. — Regnat etiam in hoc carmine mollius quoddam et flebilius πάθος, quam in caeteris ejusdem argumenti, et sedatior quaedam gravitas, ut poetam ipsum jam aetate profectiorem fuisse appareat." (Omnes laudes, quas addere solet, omisi. Namque eas nisi demonstres, pronuntiare tantummodo nulli usui est.)

Quod igitur aut uno tantum verbo legi videtur (de brevi domino supra expositum est) aut nullo verbo legitur, id contendunt isti interpretes dici „de vitae brevitate atque hinc ducto perfruendi officio." Vix aliquatenus se correxit Jani, quod ingenue profitetur: „ipsa inde derivanda vitae praecepta parum attingit (potius ne attingit quidem) sive conclusionem colligendam amico ipsi relinquit." Dubito, quin hanc con-

clusionem colligi voluerit poeta. Caeterum observa, hanc sententiam jam propositam fuisse a Zeunio et Brieglebio, nescio an etiam prius ab aliis interpretibus mihi ignotis. Jani eam in latinum sermonem vertens mutavit illud „aperire ex dimidia parte“ in suum „parum attingit“ et „conclusionem colligendam amico relinquit,“ emendat igitur certe illud Zeunii „suadet,“ Schmidtii, „adhortatur,“ Brieglebii „*zieht Folgen daraus.*“ Quod autem Jani deinde addit: „Regnat etiam in hoc carmine mollius quoddam et flebilius πάθος, id quum ex interjectione „Eheu!“ et repetito nominis Vocativo demonstrare studeat, certe dubium est, quoniam, si alio vocis sono haec vocabula leguntur, etiam alium animi affectum prodere possunt. Unde autem sedatiorem quandam gravitatem demonstrare velit, non video. Rem inversam plura docent.

Nitschium (*Vorlesungen über den Horaz.* 1792) praetereo. Nam videtur Janium vertisse, ubi dicit: „*Diesen Fehlern geht Horaz, aber nach seiner urbanen Art nach. Er nennt bloss die Sache und überlässt die Folgerungen und Schlüsse seinem Freunde.*

Döringius (1803 sqq.) alio tantum verborum nexu usus idem argumentum ideoque eosdem errores proponit; sed in sequenti expositione singularum sententiarum ad illas phrases indiligenter dictas „suadet“ „adhortatur“ „concludendum relinquit“ novam accedere videmus „jubet,“ ubi nulla forma jubentis est.

Nescio, annon indiligentius Braunhardus (1833) dicat: „Illud praeceptum impertit.“ Est phrasis variata illius phraseos „jubet,“ quemadmodum omne argumentum vocabula tantum Janii variat, errores non tollit, sed auget.

Düntzerus (*Kritik und Erklärung der Oden des Horaz.* 1840), ubi distributionem carminum lyricorum proponit (pag. 13), refert hoc carmen ad elegias, ad quas non pertinet. Tum adscripsit carmen ei generi, quo de vitae usu vel de arte vitae donis recte perfruendi agatur (pag. 160 III. *Lebensgenuss*), cujus rei nihil carmini inesse supra jam dictum est.

Explicationi praemisit hoc prooemium: „*Auch den Sinn dieser Ode hat man allgemein missverstanden, wenigstens nicht in seiner wahren Tiefe erkannt. Unglücklich, wie der Ode selbst, ist es auch dem Postumus, an den sie gerichtet ist, ergangen, indem man in ihm einen reichen, auf seinen Gütern lebenden Mann sah, der aber geizig, bloss auf Vermehrung seiner Schätze bedacht, den Tod sehr gefürchtet und vielleicht für seine Gesundheit zu ängstlich besorgt gewesen sei. Es ist den Freunden unseres Dichters grossentheils sehr schlecht gegangen, indem man annahm, diejenigen, an die er seine Gedichte richtete, hätten die Lehren, die er ihnen gab, nicht befolgt. Wenn irgendwo, so können wir bei unserer Ode fest behaupten, Horaz spreche die hier sich findenden Gedanken nicht des Freundes wegen aus, sondern weil sie sich ihm selbst so bestimmt aufgedrängt hatten und er einmal sein Herz vor dem Freunde ausgiessen wollte. Nähere Beziehung der Idee der Ode zum Postumus anzunehmen, verbietet uns die ganze Haltung.*“

Ad haec annotavit in nota subjecta haec: *Die Ode scheint Horaz in einer geistigen Verstimmung geschrieben zu haben, indem er die Unzulänglichkeit des menschlichen Lebens erkannte, das so viele Entwürfe und Pläne in uns erregt, aber kaum einen oder den andern glücklich ausführt und das mitten in seinem Streben durch den Tod aufgehalten wird, der einen so thätigen Geist zu ewiger Unthätigkeit verdammt. Wusste sich Horaz*

auch sonst durch seine Lehre vom Lebensgenusse hierüber wegzusetzen, so scheint ihn doch dieser Gedanke einmal in seiner geistigen Verstimmung, wie sie auch ihm nicht fehlte, (Iacobs S. 336 f.) mit aller Schwere getroffen und Verlangen nach einem weitern Leben geweckt zu haben. Diess drückt unsere Ode in ihrer leidenschaftlichen Heftigkeit aus."

Extrema verba de vehementiore animi affectione primum respicienti mihi in memoriam recurrunt, quae Jani dixit de molliore et flebiliore *πάθει* et de sedatiore quadam gravitate, quae quum inter se pugnent, non video quomodo conciliari possint. Alteruter igitur erravit. Caetera quomodo quis statuere possit, qui singula accuratius perpenderit, non patet. Si enim poeta locos illos communes inde a Janio ab interpretibus laudatos de celeri fuga temporis, de appropinquante senectute, de inevitabili morte, de inani cautione maturae mortis, de relinquendis rebus carissimis tractare voluisset, ineptius quidem id facere non potuisset, quam sic ut diceret de pietate fugam temporis, senectutem, mortem non remorante, de quotidianis tribus hecatombis frustra oblatis, de horribilibus monstris, Geryone et Tityo, a Plutone domitis, de Cocyto, Danaidibus et Sisypho visendis, de cupressis quae solae morientem sequantur, de haerede res relictas profundente. Atque si Horatius non tam monere Postumum, quam exponere tantum amico voluisset tristes sui ipsius pectoris curas de fragilitate vitae humanae, qui tandem huc pertinet etiam cura de relinquenda uxore, quae Horatio non erat, et de haerede vina centum clavibus servata profundente, qui Horatio non timendus fuit? At dices, haec pertinere ad amicum. Sumamus hoc. Sed deflere solemus uxorem, quod marito privatur, nemo maritum deflet, quod uxorem relinquere coactus sit. Et num omnis haeres est profusor rerum haereditate acceptarum? Sensit hoc et ipse Düntzerus, quum intruserit adverbium forsitan, quod poeta non habet; nam facit poetam dicentem: *Der Erbe wird deinen Caecuber trinken, ein würdigerer Besitzer als du, indem er ihn zu seinem Genusse verbraucht und vielleicht gar leichtsinnig verschwendet, was du karg gesammelt hast.* Atqui hoc loco Düntzerus Postumum parcum et avarum fuisse dicit, quem superiore loco omnibus vitiis absolverat. Sed haec est ejus alacrior atque vividior animi vis, qua cogitationibus undique quasi advolantibus ita inquietus ac vagus huc illuc fertur, ut saepe nesciat, quo loco sit quidque modo dixerit, et diffuse omnia misceat. Nam in iis, quae sequuntur, plane oblitus est illius opinionis de poeta tristes sui pectoris curas amico exponente et profert monita amico data, quae dari modo negaverat.

Ideam enim carminis hanc esse dicit: „*Geniesse das Leben heiter und schuldlos; denn ein schneller Tod harrt unser, der uns nichts übrig lässt, als die Erinnerung an die genossenen Freuden; aber auch das Bild unserer Schuld geleitet uns hinüber und macht uns dort ewiges Wehe.*"

Nihil non hic prorsus aliud est, quam quod carmen exhibet. Ibi enim neque verbum „fruendi," neque forma imperativi, ibi nihil adverbiorum „hilariter atque caste," nihil de celeri morte, sed celeri vitae cursu, ibi nil de celeri morte sed de inevitabili. Ubi poeta dilucide significat, omnia esse relinquenda, unde non tam concludere, quam variata dictione, (i. e. ita, ut, quod positive dictum

erat, negative exprimas) dicere tibi licebit: „nihil nobis relinqui," sive „nos nihil posse nobiscum auferre," — ibi plane contrarium vidit interpres, qui significari ait: mortem nihil nobis relinquere, nisi memoriam eorum gaudiorum, quibus fruiti simus, — ergo tamen aliquid relinquere. At quanto solatio poeta privavit miserum Postumum, si id celavit, quod dubium est num Postumus ipse sibi invenire possit. At, inquiet fortasse interpres, ipse poeta dicit: „Nulla harum arborum te sequetur, praeter cupressos. Ergo hae tamen relinquentur tibi." [At „te sequentur" non est idem ac „tibi relinquentur"] Cupressus autem arbor est, quae significat memoriam rerum praeteritarum, — ergo etiam gaudiorum, quibus olim fruiti sumus. Sic certe conclusit interpres, ubi ideam exposuit. Deinde vero ubi eam explicat, male accidit ei, ut nunc demum meminerit, cupressos esse dictas „tibi invisas," cujus epitheti supra plane immemor fuerat; ergo celeriter alius rei mentionem facit, scilicet temporis praeteriti, nimirum ut sciamus, cur invisae sint cupressi hanc memoriam excitantes. Num vero omnis memoria temporis praeteriti injucunda est? Nonne potius ejus tantum temporis, quo male usus fueris? At ipse interpres hoc sensit, quare dicit, arborem illam esse signum sive symbolum illius memoriae (quod unde demonstrari possit, nusquam reperi), ergo (!) tropice omnino memoriae ipsius. Tum addit: „sic tibi nil manebit nisi memoria earum rerum, quibus fruitus es; nam quae possedisti, ea te non sequentur. Ita igitur demum redit eo, unde supra digressus erat, ut quasi arbitretur, „praeteritum, exactum esse" idem significare ac „fruitum esse," quia si quis dicatur aliqua re fruitus esse, id ipsum frui jam ut exactum ac praeteritum designetur. Sed si voluisset philosophorum conclusiones facere, dicendum fuisset: quoniam omne, quod fuit quidem, sed non amplius est, ad res praeteritas pertinet, necessario omnium verborum singularibus significationibus, quando formae usurpantur temporis praeteriti, nota additur elapsae ejusdem vel conditionis et sortis, vel rei gestae, cujuscunque generis rem vel sortem verbum significet; ergo Temporis Praeteriti formis tibi in memoriam revocari, aut te aliquid fecisse, aut aliquid passum vel expertum esse, quod utrumque duplicis generis esse poterit, nimirum aut bene aut male te egisse, et aut jucundi aut injucundi quid te passum vel expertum esse, i. e. fruitum vel afflictum esse. Sic certe justa lance omne genus praeteritarum rerum pensitatum esset. Sed quid ex his interpres arbitrio suo obsecutus elegit? Solam memoriam et rerum jucundarum et factorum malorum. Nam dicit: *„aber auch das Bild unserer Schuld geleitet uns hinüber und macht uns dort ewiges Wehe."* Quo igitur jure omisit memoriam rerum olim injucundarum, (quae laudatur et versu Virgil. „Olim et haec meminisse juvabit." et proverbio illo: „Acti labores jucundi.") et memoriam recte factorum sive rerum bene gestarum? Num enim conscientia recti minus consolari potest?

Sed transeundum est ad eum locum, ubi in explicatione defendere studet illud adverbium caste *(schuldlos)*. Ibi dicit: *Nichts vermag den schnellen Lauf der Jahre und den Tod, der in ihrem Gefolge nothwendig erscheint* [quod nemo concedet; nam si morti non obnoxii essemus, anni celeriter labentes per se mortem nobis non afferrent;

debuit potius dicere: „naturae consentaneum est, ut annis celerius labentibus mors quoque citius adveniat"], *abzuhalten, keine Unschuld (IV, 7, 24), kein Opfer"* etc. Arbitratur igitur interpres, sine culpa *(schuldlos)* idem esse atque innocenter *(unschuldig)*, quod longe secus est. Tum hanc innocentiae notionem inesse putat in voce pietatis v. 2, ad quod demonstrandum conferre nos jubet IV, 7, 24, ubi pietas alio sensu et alio nexu legitur. Ibi enim contenditur, nullum reditum ex inferis posse neque sperari propter genus nobile, neque effici per virtutes facundiae et virtutis. Sicut igitur illo loco, ita et hic, si pietas eodem sensu dicta esset, concludi posset, poetam voluisse docere, pietatem summi quidem pretii esse, sed neminem debere exspectare, ut aut mortem evitare aut ex inferis redire possit: nunquam autem concludi potest, quod interpres vult concludi: „si pietas mortem tollere non potest, tibi pie (innocenter et sine culpa) vivendum est," sed potius justam haberet Postumus causam hoc concludendi: quum pietas nihil prosit ad mortis malum tollendum, abjiciendam potius quam colendam eam esse censeo. Quare ne hoc possit concludi, rectius plurimi interpretes sic explicant, ut dictum esse putent, ne pietate quidem (ubi subintelligi potest, quamvis alia maxima commoda habeat) posse mortem tolli. Sed haec quoque explicatio tum tantum ferri potest, si putatur locus communis adesse de morte inevitabili.

Ubi autem poeta jubeat Postumum vita hilariter frui, Düntzerus non docet, sed postulat, ut id Postumus concludat inde, quod mors nobis immineat, quae nil relinquat nisi memoriam gaudiorum, quibus fruiti simus (ergo quae item perdita sunt, ita ut sola memoria restet!) Vide, quam tristis talis esset memoria, quae moneret, haec gaudia non amplius adesse, sed prorsus evanuisse. Nonne igitur multo sapientius fuisset jubere Postumum concludere, iis tantum gaudiis fruendum esse, quae ne morte quidem tolli possint, sed nos sequantur etiam mortuos. Opportuna occasio talis admonitionis autem data erat, si explicasset illam pietatem ita, ut dictum esset: pietas mortem quidem non tollit, sed gaudia aeterna etiam apud inferos praebebit, ergo eam colere ne omittas. Sed profecto poeta noluit hoc dicere, nam tum non debuit negationem nectere cum pietate, sed cum verbo.

Quae praeterea de sententiarum nexu Düntzerus addidit, praetermitto, quia magis ad singula pertinent et ita justo ordine carent, ut difficillimum sit ea deinceps persequi.

Lübkerus *(Commentar zu Horaz Oden I — III. Schleswig* 1841) hoc carmen, ut multa alia, non explicavit; causas cur haec explicare omiserit nusquam exposuit.

Orelli, cujus mihi quidem editionem minorem tantum (secundam. Turici. 1843) licuit consulere, hoc argumentum proposuit: „Postumum ad abigendas nimias sollicitudines atque ad sapientem vitae usum adhortatur. Similis argumenti sunt Od. II, 3 et 11. Od. IV, 7. cet. Verum a similibus eo potissimum differre hoc videtur, quod tristiore cum aegrimonia et nescio quo moerore hic immoratur in recogitanda nimia vitae brevitate et *μύθων* imaginumque cumulo atque congestu quasi delectatur." Profecto mirari licet, etiam hunc virum sagacissimum parum accurate loqui de adhortatione, cujus ne minima quidem neque in verbo aliquo neque in sententiis vestigia

reperiuntur, et tantum abest, ut poeta loquatur de abigendis nimiis sollicitudinibus, ut dicat, eas abigi nullo remedio posse. Ubi autem sequi voluisse videtur Düntzerum, magis quam ille, erravit, quod putat, poetam immorari in recogitanda nimia vitae brevitate, quam supra dixi ne uno quidem vocabulo commemorari. Apertum est, eum non sua ingenii vi percontatum esse carminis sententias, sed explicationes ab interpretibus propositas festinanter percurrentem has illasve recepisse. Unum, quod ipsius acies recte vidit, poetam μύθων imaginumque cumulo atque congestu quasi delectari, eum deducere potuisset ad carminis veram indolem inveniendam, si, quam viam haec observatio muniverat, eam ipse secutus esset.

Dillenburgerus (Bonnae, 1844) omnes errores jam notatos, etiam Düntzeri, recepit. Quod autem unum ipse addidit, poetam conqueri de inanitate inferorum, id quid significet, confiteor me non intelligere. Ipse enim postea in notis ad locum de inferis additis nullum verbum attulit, unde hoc cognosci possit. Nam inde, quod relinquendae sunt res hujus terrae, non necessario sequitur, ut inanis sit locus inferorum.

Obbarius (cujus editionem Horatii carminum [*kritisch berichtigt, erklärt und mit einer literarisch-historischen Einleitung versehen. Jenae* 1848] omnium quas habemus optimam esse nemo negabit, qui prooemii notitias literarias utilissimas ac diligentissime dispositas perlustraverit, et sapientissimum notarum delectum, in iisque uberrimam summae doctrinae copiam ac maximam judicii subtilitatem cognoverit) multa quidem singula doctius ac melius explicavit, sed tamen easdem illorum locorum communium sententias a poeta expositas esse dicit, quas his verbis distinctius, quam caeteri interpretes, refert: „*Die Flüchtigkeit der Zeit vermag kein Gebet und Opfer aufzuhalten* (1 — 8), *sondern der Tod ist unser Aller Loos* (9 — 12). *Vergebens suchen wir demselben auszuweichen, indem wir uns dem Kriege, der Schifffahrt und der Krankheiten erzeugenden Luft entziehen* (13 — 16), *allein ein unausbleibliches Schicksal treibt uns hin zum Hades* (17 — 20). *Da müssen wir Alles verlassen, was uns lieb und theuer war, Häuser, Familie und Ländereien, und unser Besitzthum fällt in die Hände des gierigen Erben, welcher es verschwendet* (21 — 28).“

Cui argumento quae falsa inesse arbitrer, patebit ex iis, quae ad Janii et Düntzeri argumenta jam exposui. Et repugnat V. D. sibi ipse, quod quam hoc loco sententiae v. 21 — 28 loci communis formam dedit, deinde rectius tollit, ubi se dissentire dicit a Düntzero et Orellio, quippe qui ut in caeteris ita in illis quoque versibus communem locum contineri statuerint. Itaque eo magis miror, quod et ipse adhortationem inesse putat. Nam dicit: „*Der Dichter sucht den Postumus hier auf indirecte Weise(?) zu einem frohen Lebensgenusse zu ermuntern, freilich in anderer, mehr ernsterer Art, als wir es sonst von ihm gewohnt sind.*“ Videtur his verbis significasse illud, quod ab Janio appellatum vidimus mollius ac flebilius πάθος et sedatiorem quandam gravitatem, quod utrumque a vera carminis indole alienissimum esse censui.

Ad Düntzerum redire cogor, ne editionem novissime ab eo editam (Q. Horatii Flacci opera in usum scholarum ed. varietate scripturae et commentariis instruxit Henr. Düntzerus. Brunswig. 1849) silentio praetermisisse videar. Quamquam, quantum per-

lustrare potui singula, his notis brevissimis et ad locos parallelos inter se conferendos invitantibus optime videtur consultum esse scholarum usui, tamen desidero multa, quorum unum significasse sufficiat hoc, quod singularum vocum significationes non satis pressit ad argumenta ex iisdem ita elicienda, ut prosilire videantur ex singulis verbis, et his tanquam certis fundamentis nitantur. Argumentum nostri carminis idem est, quod supra recensui, latinis verbis, quibus meas dubitationes interserere liceat, sic redditum: „*Horatius quondam, quum meliorem vitae suae partem jam effugisse putaret* [quibus tandem verbis hoc dixit? Nam inde, quod exclamat: „Eheu! fugaces anni labuntur!" nondum satis tuto concluditur, eum id de se dixisse.] *tristissima mortis imagine* [nescitur unde haec ei oblata sit] tam graviter commotus est, ut locum communem de morte omnibus imminenti [quo abiit haeres profusor?] *vehementissimo doloris sensu abreptus* [At Horatius semper fuit apud se, semper animi compos fuit, nunquam se abripi passus est] *hoc carmine amico suavissimo* (amicum quidem Postumum appellat, sed dubito quin omnino fuerit amicus nedum suavissimus, cujus nulla vestigia video. Et quomodo auctor hoc conciliabit cum nota ad epitheton „dignior" facta, quod dictum esse contendit non sine acerba ironia. Num tali utitur amicus erga amicum suavissimum!) *inscripto exponeret. A solita Horatii hilaritate* (*cf. I*, 4. 9. 11. II, 3. 11. *IV*, 12) *carmen prorsus recedit. Simile est IV*, 7. [Sed, quemadmodum in plurimis sibi similibus, dissimilitudo major est, quam similitudo].

Ego non vereor, ne objiciatur, me recensuisse ea tantum argumenta, quae falsi quidquam habeant, praetermisisse ac reticuisse ea, quae forsitan reprehendendi locum non dederint. Fassus sum, alias carminum editiones mihi non in promptu fuisse; sed dubito quin melius quidquam in aliis inveniatur. Illi enim editores omnes contendunt, se optima ex prioribus editionibus, etiam Gallorum, ut Dacierii, Sanadoni, aliorum, in suos commentarios retulisse. Hoc unum doleo quod mihi comparare non licuit omnia ab Eichstadio, Grotefendio, Jacobsio de Horatio scripta, ita ut nesciam, num hi aliud quid, quam quod recensui, de hoc carmine exposuerint. Düntzerus (*Kritik und Erklärung etc.*) hoc tantum commemoravit, Grotefendium incusare Postumum, sed ubi et cujus rei eum incuset, non addidit. At miratus sum, etiam hunc virum sagacissimum in novissimo libello notitiis doctissimis atque subtilissimis repleto (*Schriftstellerische Laufbahn des Horatius vom Schulrathe Dr. G. Fr. Grotefend. Hannover* 1849.) argumentum hujus carminis sic exponere, ut (pag. 19) dicat: „*Den um lange Lebensdauer besorgten Postumus suchte er beim Jahreswechsel durch die Erinnerung an den unvermeidlichen Tod zum frohen Genusse des gegenwärtigen Glückes zu ermuntern.*" Novum in eo argumento hoc est, quod V. D. primus verba „fugaces labuntur anni" non praetermittenda esse vidit, sed dubito quin recte conjecerit, ineuntis anni tempus significari illis verbis.

Caeterum alios viros doctissimis studiis de Horatio optime meritos, Bentlejum, Kirchnerum, Weberum, Teuffelium, Frankium, alios, quum nihil de argumento hujus carminis exposuerint, in meam rem adhibere non potui.

Jam haec recentiorum interpretum argumenta respicienti mihi ac comparanti cum iis, quae a veteribus proposita vidimus, res nondum videtur eo deducta esse, quo deducendam eam esse censeo. Ubi veteres plerumque substiterunt in una sententia, quae praevalere videbatur, ibi recentiores plures quidem sententias conceperunt, sed tamen nunquam omnes ita respexerunt, ut iis sub unum quasi obtutum congestis summam invenirent, cui omnes singulae apte subjectae esse viderentur. Deinde hoc negotium exponendarum plurium singularum sententiarum multi tam obiter ac negligenter factitarunt, ut parum curaverint uti certis ac distinctis verbis formisque orationis nexui aptis ad sententiam diligenter ac subtiliter designandam. Fuerunt potius aut verbosiores tantum et imaginandi vi abrepti vel in concionantis quasi modum delati sententias amplificarunt, aut argutius quam acutius haec illave intruserunt, alia opinati sunt, alia concluserunt vel concludenda esse censuerunt, alia juberi, moneri, doceri, defleri contenderunt, neque tamen, quibus causis ex ipso carmine desumptis permoti fuerint ad talia statuenda, dilucide demonstrarunt. Tum plerumque sequentes editores priorum sententias exceperunt, quas ne prorsus recepisse aut exscripsisse viderentur, aliis iisque non semper in melius, sed saepe in pejus mutatis verbis retulerunt.

Haec sunt peccata interpretum, quae et vitari posse et, quantum fieri possit, vitanda esse censeo, ne ipsa explicatione magis obscuretur quam illustretur vera carminis indoles. Causam autem, cur, quum plurimae singulae res docte et accurate explicatae sint, tamen id nondum satis recte factum esse videatur in exponenda summa sententia vel consilio primario cujusque carminis, maxime hanc esse arbitror, quod plerumque ii tantum, qui omnibus carminibus edendis operam dabant, una cum hoc negotio, quo singula a singulis viris doctis bene adnotata undique comportanda atque proponenda sibi esse putabant, etiam munus susceperunt argumentorum exponendorum. Sed illi etiamsi negotio bene exsequendo parati fuerint, tamen non semper idonei fuerunt, qui hoc munere optime fungerentur. Quemadmodum igitur singulis rebus optime hac re consultum fuit, quod alii aliis rebus, quibus investigandis aptissimi sibi viderentur, se totos dicabant, ita etiam huic rei tum demum optime consultum erit, si multi singuli viri huic uni muneri, ut carmina suopte ingenio animove intelligere studeant, omnem operam ac diligentiam dicaverint, quod quidem a multis viris doctissimis ad eorum carminum, quae difficiliora intellectu esse videbantur, ideas summas eruendas factum esse non infitior, sed tamen tantum abest, ut huic rei jam satisfactum esse videatur, ut longe plurimorum carminum veram indolem atque ipsam artis poeticae subtilitatem adhuc latere arbitrer. Ad hanc autem carminum Horatianorum naturam facilius eruendam necessarium est, ut reputemus, q u a l i s poeta Horatius fuerit.

Quod enim dicere solent, poetam n a s c i, non f i e r i, id quidem cadit in eos poetas, qui aut primi inventores fuerunt carminum certi cujusdam generis poetici, aut in eos, qui caeco quodam animi impetu vel divino afflatu incitantur ad pectoris potius sensa quam ad mentis cogitata exponenda. Plurimi vero poetae artificiosiorum carminum,

praeterquam quod et ipsos oportet natos esse, i. e. ingenii alacrioris et feracioris vi praeditos, tamen et facti recte dici poterunt, quippe qui ad illam a natura acceptam indolem afferant etiam doctrinam atque eruditionem et studii industriam artisque diligentiam, ita ut sibi semper certi cujusdam consilii quod sequantur sint conscii, atque ad id totius carminis artem accommodent. Ad hujus autem generis poetas Horatium retulerim. Si quisquam alius, hic poeta fuit, quia poeta esse voluit, sive se poetam et fecit et ubique se poetam praestare studuit. Quare non solum in multis carminibus hanc ipsam materiam tractat, sed etiam omnibus ita subjectam habet, ut ubique significare videatur, eum tantummodo qui sit poeta sic sentire, cernere, cogitare, sperare, judicare, suadere, jubere, adhortari, docere, consolari, vaticinari. Poetam autem esse ipsi erat facere omnia illa recte vel potius optime i. e. perfecte, quantum id ab hominis sapientia ac temperantia et moderatione fieri possit. Posset etiam aliis verbis dici, poetam Horatio visum fuisse tantummodo eum qui praeceptorem ac doctorem se praestaret aequalium suorum, atque iis auctor esset consiliorum in omnium rerum conditionibus sapientissimorum, optimorum, utilissimorum. Propterea solebat intentus esse omnibus rebus, quaecunque gravioris momenti fierent, et observare, num prodesse et delectare posset poeseos lumine illis rebus accenso. Quod initio quidem ita factum esse scimus, ut, quum sibi ipse nondum satis confideret ad cogitationes suopte ingenio concipiendas, eas potissimum res tractaret, quibus quae sententiarum vel dictionum genera ex graecis carminibus ipsius animo obversabantur facillime accomodari posse intellexerat, donec paulatim summa diligentia exercitatior factus quasi magis vel proprio Marte vel fautrice Minerva sua sensa et cogitata suis verbis exponere auderet. Ex his omnibus causis recte judicabimus, Horatium nullum carmen nisi occasione aliqua vel oblata vel arrepta composuisse, quam quidem, licet non ubique aperte proposita sit, sed potius hic illic obtecta ac quasi abscondita lateat, tamen, si recte quaesiveris, plerumque invenies. Hac autem occasione recte inventa etiam consilium primarium atque ideam summam facilius investigare poterimus. Sed requiritur ad hoc negotium rite facessendum non solum animus ad hanc rem maxime intentus et praecipue aequabilior omnium ingenii animique virium consensus, sed etiam tempus huic meditationi opportunum otio facilius oblatum quam negotio, quo alterum post alterum carmen quasi uno tenore legendum tractandumque tibi sumpseris. Quamvis enim omnia carmina omnino ejusdem sint generis, lyrici dico, tamen, quum singula poeta alia occasione oblata alio quodam animi affectu impulsus composuerit, aliudque alio tempore alii personae alio consilio destinaverit, tam varii ac multiplicis generis sunt, ut ne simillima quidem plane eadem sint, sed unumquodque pro suo tempore, consilio, occasione habeat suum animi affectum, dictionis colorem, elocutionis genus, ideoque etiam postulet suam explicandi viam ac rationem.

Jam quum nostrum carmen ad ea pertineat, de cujus occasione ac consilio aeque ac de persona, quam poeta alloquitur, nobis aliunde nihil constare dicunt interpretes, in eo explicando hanc maxime legem observandam esse arbitror, qua quivis scriptor

ipse optimus sui interpres esse dicitur. Hinc autem primum hoc statuendum est, poetam omnia ea, quae a legentibus cogitari voluerit, vere dixisse. Quae quidem quum partim certo verborum delectu, partim peculiari dicendi forma proposuerit, ex his ipsis electis vocibus earumque formis eruenda sunt et notionum nominibus designanda, minime vero aliquid ita concludere licebit, ut, quod in ipsis illis vocibus vel formis non insit, sola conclusione facta addamus ex nostro arbitrio. Deinde autem id concedendum est, aliud quid cognosci non posse, nisi recte concludendo. Quae enim aequalibus notissima erant, rerum statum et conditionem, tempus et occasionem, personarum mores, affectus, animos, res gestas, fortunam, habitum et quae sunt hujus generis alia, haec omnia solet poeta tantummodo significare. Haec igitur, quum nobis ignota sint, conjectura tantum ex ipsius carminis verbis facta cognoscere poterimus. Quo quidem duplici munere ut recte fungamur, caveamus necesse est, ne quid quod ad sententias recte intelligendas vel res accurate cognoscendas pertineat praetermittamus, et ne quid intrudamus, i. e. ne quid statuamus, nisi quod statui posse vel statuendum esse satis demonstraverimus.

Primum igitur interpretis caute ac pedetentim progredientis est, ubi appellationem illam „Postume, Postume" legerit, nondum aliud quid statuere, quam poetam Postumum alloqui. Postumo quidem scriptum esse carmen dicere possumus, quippe qua dicendi forma ambiguum reliquerimus, num dativum commodi an incommodi, quem dicunt, intelligendum esse censeamus. Qui autem inscripserunt „Ad Postumum," ii quum carmen scriptum et missum esse ad Postumum statuant, videntur incusari posse quasi saltus in conclusione facti. Quod enim Horatius Postumo dici posse vel dicendum esse putavit, id num etiam se misisse ad Postumum significaverit, jam investigandum erit. Neque igitur recte feceris, si ex v. 6, ubi poeta Vocativo amici utitur, justo citius statueris, Postumum fuisse poetae amicum. Cautius hic quoque dicemus, Postumum a poeta eo nomine appellatum esse.

Ubi disquirimus, num aliunde quidquam audiamus de Postumo, a paucis interpretibus jubemur conferre Propertii elegiam I, 12, ad Postumum scriptam; plurimi autem interpretes negant aliunde sciri, quis hic Postumus sit, ita ut ex solo hoc carmine nobis cognoscendus sit. Utinam eum inde ita cognoscere studuissent, ut a poeta descriptus cognosci potest! At neque illi, neque hi rem satis accurate instituerunt. Alii enim nihil prorsus de Postumo dicunt, alii eum paucis, alii multis quasi epithetis describunt, alii eum poetae amicum appellant, alii, quum de hac re taceant, videntur propterea tacuisse, quod ex ipso vocabulo amici in v. 6 id disci posse putabant.

Janius in argumento hoc exponit de Postumo: „Videtur ille Postumus fuisse dives ac opulentus, sed parcus idem et avarus, otiosam in terris suis vitam agens, agris hortisque colendis intentus, mortem timens, ac de sanitate sua tuenda admodum sollicitus." His verbis multa recte et bene exposita sunt de Postumo, neque tamen omnia, quae de eodem in carmine ipso exponuntur. Dixit autem „Videtur fuisse" haud dubie propterea, quod ipse intellexit, nos scire cupientes, qualis Postumus fuerit, id concludere tantum posse ex iis, quae Postumo a poeta dici in carmine nobis visa

fuerint, ita ut nobis nihil aliud liceat dicere, quam videri nobis talem Postumum, quoniam, si quis aliud quid inde concludi posse vel concludenda esse putaverit, ei alius esse videbitur Postumus. Sed quod poeta Postumo dicere voluit, id certe aperte ab eo propositum cernimus, ut de hac quidem re propterea tantum vario modo judicari possit, quod, quae latina i. e. aliena lingua scripta sunt, hic illic pluribus de causis varie intelligi possunt.

Jam vero, quod Janius mores illos Postumi proposuit eo ordine, quo inveniuntur, si a fine carminis incipientes singula de eo proposita considerare gradatim retro pedem ferimus, id sapienter et apte ad Postumi mores cognoscendos fecisse mihi videtur. Ut enim, si quis fluvii paullatim aucti naturam bene cognoscere velit, licet jam inde a fonte usque ad eum locum, ubi in mare influit, ejus decursum observaverit, tamen utilissimum censebit, denuo iter ingredi ac retro pergere usque ad fontem, quoniam nunc, ubi, quale tandem factum sit flumen, bene cognitum habet, attentius observabit omnes rivos ad illud confluentes ante neglectos vel praetermissos, ita etiam qui carmen vel orationem perlegerit, utiliter repetet sententias a fine retro respiciens, ut cognoscat, ex qua proxime antecedente sententia posterior quaelibet nata sit, qua via tandem perveniet ad altiorem locum primi fontis, unde totum carminis vel orationis flumen profluxit.

Consilium igitur cepi eodem modo viam instituendi, ut primum intelligeretur, quo omnia, quae a poeta exposita sunt, pertinere viderentur.

Itaque quum Janius divitem fuisse Postumum conclusisse mihi videretur inde, quod haeres dicitur absumturus esse Caecuba — servata etc., addidi quae mihi addenda esse videbantur pronomina possessiva et personalia et exposui mihi: „Haeres tuus Caecuba a te servata —, tinguet tuum pavimentum.“ Sic pedem retro ferens mox vidi, poetam ipsum dicere: „te sequetur“, et quum „arbores quas colis“ sint „arbores tuae“, etiam, quae his proxime praecedunt, sic legi: „Linquenda tibi tellus tua, et domus tua, et uxor tua. Porro: „Visendus tibi Cocytos etc.“

Jam quum adhuc poetam ubique secunda persona aut vere uti aut eandem significare animadvertissem, mox in paucis illis locis, ubi prima persona numeri pluralis invenitur, videbatur mihi poeta aliqua de causa semetipsum quidem Postumo adjunxisse, sed tamen re vera Postumum significasse, ita ut etiam haec mihi sic exponenda esse censerem: „Frustra carebis“ etc., unda nobis omnibus, quicunque terrae munere vescimur, ergo et tibi, qui item terrae munere vesceris, enaviganda, sive rex sive inops eris colonus.“ Jam quum in enunciatione secundaria: „si places“ iterum secunda persona posita sit, non poterimus in enunciatione primaria, unde illa suspensa est, secunda persona carere, ideoque ibi quoque exponendum erit: „nec tua pietas moram afferet rugis et senectuti tibi instanti et morti, quam ne tum quidem domare poteris, si places etc.

Restant tandem soli „fugaces anni.“ Nonne inconstantiae ac repugnantiae merito argueremur, si his solis addere nollemus pronomen possessivum secundae personae? Quod si fecerimus, „anni tui“ erunt anni aetatis Postumi. Atqui suae aetatis annos

labi quivis nullo tempore fortius sentit, quam die natali redeunte, quippe quo monetur, quotum annum aetatis vel egerit vel ingrediatur.

Sic a fine carminis retro pedem ferentes tandem pervenimus ad ipsum fontem, unde omnia profluxerunt, ad occasionem dico, qua poeta usus est ad hoc carmen componendum. Externa igitur ejus forma poetica, qua genus carminis definitur, haec est, ut contineat quasi salutationem Postumo diem natalem celebranti propositam.

Propter illas autem causas Postumi diem natalem significari rectius puto judicasse, quam Grotefendius qui anni initium significatum esse censuit, unde poeta occasionem arripuerit, amicum de temporis fuga consolandi et ad hilarem vitae usum adhortandi, quod omnino vereor ne magis nostri moris causa, quo faustum novum annum amicis precari solemus, judicaverit.

Jam vero quum omnia ita de Postumo dicta esse cognoverimus, ut nihil non ad eundem pertineat, poterimus pariter ex ipso carmine facilius atque tutius cognoscere, quae Postumo fuerit rerum conditio, quae aetas, quales mores, quae spes, quae pietas et reliqua hujus generis. Haec omnia autem concludendo tantum recte cognosci posse censui ex iis, quae aperte a poeta dicta esse bene intellexerimus. Hac igitur ratione utrumque illud quod accurate distinguendum est simul videbimus, et quis fuerit Postumus, i. e. quid poeta de eo amicis suis significaverit, ergo nos, si recte concluserimus, docuerit, et quid ipsi Postumo dixerit.

Iterum autem a fine carminis viam ingredi et me recipere usque ad initium lubet, ut ostendam, ubi jam Janius ea, quae ad Postumum pertinent, satis recte exposuisse mihi videatur, et quid ab eo nondum satis exploratum esse censeam. Quod igitur Janius Postumum primo appellat divitem et opulentum, sed parcum eundem et avarum, id mihi videtur recte conclusisse ex ultima stropha. Deinde Postumus ab eo appellatur otiosam in terris suis vitam agens, agris hortisque colendis intentus, quae item bene ex stropha ultimae antecedente bene conclusit. Quod autem tum dicit, eum mortem timuisse ac de sanitate sua tuenda admodum sollicitum fuisse, id mihi quidem videtur non satis subtiliter dixisse. Eum enim non tam timuisse mortem, quam odio habuisse ita, ut invisa ei essent omnia, quae ipsum juberent memorem esse necessitatis moriendi, inde patet, quod ei invisae erant cupressi. Inde autem, quod poeta dicit, ei relinquenda fore omnia carissima, videtur concludendum esse, eum omnino mori noluisse vel certe remedia circumspexisse, quibus primo tantummodo quantum fieri posset longissime ac tutissime mortem a se removeret, tandem autem temere sibi persuaderet, se posse profecto mortem effugere. Idem patet ex vss. 13 — 16. Si enim harum cautionum id tantum consilium fuisset, ut ne praematura morte occumberet, laudandus fuisset Postumus, nec jure suo poeta dixisset, frustra eum vitare illa vitae pericula. Namque talibus cautionibus profecto impediemus quominus maturius moriamur, quam a natura nobis constitutum est. Non recte igitur hoc adnotavit Mitscherlichius: „Vana est omnis hominum vitae valetudinisque tuendae cura ac sollicitudo, cum mors certissima

nobis impendeat.“ Recte dixisset, si his verbis, quae diductis literis scripta sunt, praemisisset haec verba: „siquidem putant, hac cura non tam maturam mortem, quam omnem omnino mortem evitari posse.“ Postumum vero tale quid sperasse, videtur porro inde concludi posse, quod poeta dicit v. 11 et 12: „Unda tibi enaviganda erit, sive rex eris sive inops colonus.“ Ubi quum aliud cautionis genus commemoret poeta, cognoscimus simul aliud Postumi vitium, dissimulationem divitiarum. Nimirum etiam ea vitae pericula vitare studuit Postumus, quae ab aliis sibi imminere putavit, si uteretur divitiis suis ad vitam splendide magnificeque agendam. Namque bellorum civilium cruentis proscriptionibus edoctus erat, nihil facilius in maxima vitae pericula multos conjecisse, quam si divites esse viderentur. Itaque prudentius et tutius duxit, dissimulare divitias et inopis coloni sorte contentum esse videri. Quod autem poeta hoc loco et in vss. 13 — 16 utitur prima persona numeri pluralis, quamvis haec omnia de solo Postumo dicere velit, id fecisse mihi videtur propterea, quod Postumus haud dubie ad eos pertinuit homines, qui ut ille garrulus in Sat. I, 9 se Horatio insolenter ut amicos offerre solebant, ideoque Postumus interdum familiariter se Horatio in villa degenti, a bello et mari abstinenti et Austrum metuenti (Sat. II, 14, 16) aequiparaverat tanquam idem prudenter sentientem ac caute facientem, ita ut nunc poeta imitando quasi recipiens ejusdem consuetudinem jocosa cum ironia aeque familiariter se tanquam idem sentientem ei aequipararet et eum amicum appellaret.

Nihil autem illam stolidam Postumi spem luculentius docet, quam quod poeta Postumo dicit: „non moram afferes indomitae morti, non, si — places Plutonem, qui Geryonem etc. compescit.“ Hoc enim poeta temere diceret, nisi Postumus credidisset, se compesci non posse a Plutone i. e. se domare posse mortem. Atque hoc tandem loco simul et causam, unde Postumus stultam illam spem conceperit, et alios malos ejusdem mores cognoscimus. Primum, quamvis parcus esset contra alios, tamen, quum propter mortis odium caute sanitatem suam tueri studeret, non stulto aliorum avarorum et parcorum more ipse justo victu ita se abstinuit, ut corpus macie tabuerit ac senuerit, sed potius se bene curavit ideoque sano ac satis valido corpore fuit, unde neque sibi neque aliis jam provectiore aetate videri voluit. Tum vero ex alia causa adhuc tutiorem se contra senectutem et mortem reddere posse credidit. Quum enim divitias a se non prorsus dissimulari posse intelligeret, vidit, aliquos saltem in aliqua re sumptus sibi esse faciendos, ne, si ab omni sumptu abstineret, in suspicionem avaritiae caderet, cujus etiam speciem a se removere studuit. Simulavit igitur pietatem, quotannis magnum unius tauri sacrificium offerendo. Sed simul callidus esse voluit. Diem sacrificii offerendi elegit natalem suum, deum autem, cui offerret sacra, Plutonem. Ubi igitur caeteri homines Genio, cui vitam acceptam debeant, grati animi significandi causa sacra facere solebant, Postumus callidus maluit Plutoni sacra offerre, ut vitam per eum diutius conservaret. Sed fieri solet, ut, quibus prospere successit, ut homines fallerent, ii mox etiam sibi satis callidi videantur ad ipsos deos fallendos. Sic Postumus captus erat hac superstitione animi, ut jam putaret, se hac sua pietate, qua aliquam divitiarum partem sponte offerret, non

solum impediturum, quominus dii nimiae suae fortunae inviderent, sed etiam tutius quam omnibus illis cautionibus mortem a se aversurum esse. Quid? quod, postquam superiore anno primum tale sacrificium obtulit, propter optimam valetudinem qua gaudebat et quia hilarem, qualem talis pietatis homines affectant, frontem rugae nondum sulcaverant, stolide sibi persuasit, se jam astutia sua ac calliditate effecisse, ut a Plutone compesci i. e. a morte domari non posset?

Sic simul tollitur illa difficultas pietatem hoc loco commemoratam apte explicandi. Nullum enim commodum sensum inveniri vidimus, si omnis omnino pietas i. e. vera ac laudabilis intelligeretur. Soli autem Postumo, qualem nos cognovimus, pietas dicta aptissimum universae sententiae afferet sensum. Namque tum aperte et recte quidem poeta dixit haec: Nec, qualis tua est pietas i. e. et simulata, quod attinet ad homines, quibus propter eam minus parcus videri vis, et superstitiosa, quod attinet ad tuam spem ex eadem conceptam, quae tibi quidem callida, caeteris autem hominibus stultissima videtur, moram afferet rugis, senectuti ac morti.

Quid igitur mirum, si poeta huic homini malorum ac perversorum malorum, homini virtutes simulanti, vera dissimulanti pellem detrahere studet, qua nitidus per ora cedebat, introrsum turpis (Sat. II, 1, 64)? Quod qua ratione vere poetica Horatius fecerit, jam demonstrare conabor.

Praeter perpetuum usum secundae personae observavi peculiarem usum Temporum. Poeta enim a Tempore Praesenti in exclamatione, qua orditur carmen, posito statim transit ad Tempus Futurum, qua una forma deinde in omnibus verbis constanter per totum carmen utitur, unde recte judicare nobis videmur, etiam in Participiis Futuri Passivi vim Futuri Temporis cum necessitatis notione ita conjunctam esse, ut sic exponi possint: „enaviganda, visendus, linquenda tibi erit. Postquam igitur poeta proposuit observationem die natali Postumi factam, ejusdem annos aetatis celeri fuga labi, statim transit ad vaticinia edenda; unde patet, Horatium voluisse videri Postumo diem natalem celebranti adstare tanquam vatem vaticinantem.

Haec interna forma poetica ideam carminis praebet, quae in vaticinatione cernitur. Nihil enim poeta docet, monet, considerandumque proponit, nisi illud unum, quod exclamat: „Eheu! fugaces anni labuntur!“ Caetera omnia vaticinatur.

Jam quicunque paullo attentius legerit id quod poeta vaticinatur, intelliget, vaticinationes esse tristissimas, omni exspectationi Postumi prorsus contrarias, auditu satis horribiles. Dejicit enim poeta Postumum omni spe, quam ex pietate sua conceperat de facultate moram imponendi senectuti vel ipsam mortem domandi, ostendit ei vanitatem stultarum cautionum, quae ipsi callidissimae visae sint, vaticinatur certissimum descensum ad horrenda inferorum loca, praenunciat ei necessitatem omnia carissima aliquando ita relinquendi, ut prorsus nihil secum auferre possit, praesignificat denique ei digniorem haeredem, qui res avare coacervatas consumpturus et meliorem divitiarum haereditate acceptarum usum facturus sit. Mox ubi reputaverimus, multa ita dicta esse, ut vel risum moveant aliorum, vel Postumum pavore percellant, ira et odio perfundant, horrore concutiant, facile cognoscimus, animi affectum quo poeta

carmen composuerit, fuisse irridentis, cavillantis acerbissimaque cum ironia jocantis. Omnia igitur comparata sunt ad Postumum turbandum, vexandum, cruciandum, torquendum, risuique et contemtui omnium exponendum. Itaque consilium, quo poeta composuit carmen, nullum aliud est quam ut ostendat, quomodo Postumi mali ac perversi mores castigari mereantur.

Quamvis enim poeta Postumum in carmine ipso alloquatur, tamen non credibile est, tale carmen a poeta ipso ad Postumum missum esse. Haud dubie poeta amicis suis carmen recitavit tanquam tale, quale fingi possit Postumo diem natalem celebranti cantatum, sed illi consilio ita aptatum, ut de carmine per amicos divulgato etiam Postumus certior fieret.

In hoc autem Postumi castigandi consilio cernitur unitas ideae summae vel ipsum thema carminis, cui omnes singulae universi carminis et res et sententiae cum elocutionis formis illi animi affectui accommodatis ita subjectae sunt, ut nulla non subsumi possit.

Quam apte poeta illi suo consilio et animi affectui jam initium carminis accommodavit! Quum enim anni labentes appellentur fugaces, concludi inde potest, hunc diem natalem haud dubie eum fuisse, qui, ex quo tempore Postumus sacra Plutoni in illum usum offerre coeperat, prima vice rediit. Jam vero quum hic dies Postumo avaro ac parco propter sumptus jam iterum faciendos exspectatione citius rediisse visus esset, et de hac re ipse forsitan questus esset, poeta exclamando illud „Eheu!“ se quidem quasi socium doloris et querimoniae facit, sed statim corrigit causam conquerendi, ejus stolidam superstitionem et spem temere conceptam, uti merebatur, vituperans. Ad quam rem docendam utitur anadiplosi nominis, qua singulari elocutionis forma graviter monere studet, verendum esse, ne Postumus temere judicaverit. Cogites enim tibi, poetam digito indice quasi monitore erecto repetitum nomen pronuntiasse eo vocis sono, quo aliud quid factum esse, quam quod exspectaveris, significare solemus, ideoque dixisse: Postume! Postume! timeo, ne te fefelleris. Quid enim audio? Citius, quam exspectasti, rediit tibi dies natalis! Proh dolor! Quam celeri fuga anni aetatis tuae labuntur! Qui quo citius fugiunt, eo citius te adducent ad senectutem. Itaque temere te aliosque celas, quod diutius celare non poteris, te senem fieri.

Quemadmodum igitur poeta in carmine IV, 13, 2 ad Lycen scribit: „Fis anus, et tamen vis formosa videri“ etc., sic hoc carmine Postumo dicit: „Fis senex, et tamen vis tibi et aliis nondum provectiore aetate esse videri, opinarisque longe a te adhuc remotam esse senectutem, ac perperam studes hilari pii hominis fronte omnes rugas senectutis retinere vel saltem celare.“

Tum ubi poeta dicit „ne si treceni“ etc., sacrificium propterea ὑπερβολικῶς majus, quam quod unquam a sano homine offerri possit, describit, quia ipsum non latet, Postumum avarum ac parcum modo audito hoc numero trecenorum taurorum quotidie immolandorum haud dubie ita conturbatum iri, ut ejus terror risui esse possit. Propterea etiam Geryonem videtur appellavisse ter amplum, quasi comparatione instituta cum Postumo, quem sine dubio satis robustum fuisse supra diximus. Poeta enim sic

jocatur, ut dicat, Plutonem ne tum quidem de hominibus domandis dubitare, si triplici sint amplitudine, qualem Postumus simplicem tantum habeat. Id quidem sagaciter jam Schmidtius vidit, formam illam „ter amplum“ non potuisse dici sine comparatione, neque tamen ridicule id dictum esse intellexit, quoniam poetam Postumum amicum amica oratione adhortari velle putaverat.

Tum formis illis Participii Futuri Passivi poeta usus est ad necessitatem moriendi majore cum vi pronunciandam, quo injiceret Postumo plus horroris. Videtur etiam eodem consilio dixisse visendum „Danai genus infame damnatumque longi laboris Sisyphum,“ quia his poenae loco labores impositi esse ferebantur, qui, quum vani essent nec lucri quidquam afferrent, Postumo avaro semperque res suas augendi cupidissimo maxime invisi erant. Quare poeta hac imagine inferorum proposita Postumum ludificatus est. Haud dubie enim amici, quibus poeta carmen recitabat, riserunt, quia Postumum, simulac per alium quempiam carmen legendum accepisset, cernere sibi videbantur angi, conturbari, pallescere, exanimari, oculos misere detorquere.

Quomodo „brevis dominus“ recte intelligendus sit, supra vidimus. Jam ubi omnia cernimus a poeta jocose dici, dubius sum, numne etiam hoc adjectivum, ut illud „ter amplus,“ per comparationem dictum sit, ita ut poeta jocari velit quasi pompam funebrem describens, in qua brevem dominum i. e. dominum humili statura (cf. Cic. de inventione I, 24 longus an brevis) procerae cupressi sequantur.

Sic vero etiam omnes difficultates tolluntur, quae quominus haeres recte intelligeretur impediverunt. Nunc enim apparet, poetam noluisse loqui neque de haerede forsitan absumpturo res a Postumo diu servatas, neque de haerede prodigo et profuso, sed de certo et noto haerede, quem divitiis haereditate acceptis melius usurum esse omnibus ita persuasum sit, ut jam dignior dominus illarum divitiarum appelletur. Namque hoc tantum illi consilio animique affectui aptissimum est. Voluit enim manifesto poeta hoc extremo loco id dicere, quo nihil aegrius Postumum laturum esse scivit; hoc autem est, si audiverit, et palam jam fieri, quod diu anxie celatum dissimulaverat, quanta sit ipsius divitiarum magnitudo, et res ab ipso retentas atque coacervatas perfruendas datum iri aliis, quippe quum haeres summa cum liberalitate magnificoque apparatu, qualis ditissimum hominem deceat, vitam suam sit acturus.

Quod denique poeta in fine carminis convivia ab haerede tam magnifice splendideque ornari dicit, ut etiam eam, quae adhuc maxima habita erat, magnificentiam pontificum superent, id facit ad Postumum tandem eo usque turbandum, vexandum cruciandumque, ut eum quasi exanimet atque angore mactet.

Dixi autem haeredem non describi prodigum ac profusum, quoniam hoc repugnaret nomini dignioris haeredis. Neque vero ulla causa est in ipsis verbis. Nam „absumere“ non significat „profundere“, sed tantum vina consumere i. e. bibenda dare convivis ad epulas invitatis, atque ita meliorem usum eorum facere, quam quem Postumus fecerat, qui neminem ad se invitabat. Quum igitur omnes non solum, quis sed etiam qualis futurus sit Postumi haeres haud ignorarent, ideoque ab homine divite facto ac liberali, qui acceptis divitiis solus frui nec possit nec velit, lautissimas

epulas exspectare possent atque optare (cf. Cic. de offic. I, 8 „delectant magnifici apparatus vitaeque cultus cum elegantia et copia"): jure suo eum haeredem digniorem habitum esse dicit poeta, qui scivit, hoc quoque Postumi stomachum moturum esse.

Postquam exposui, qualis mihi videatur Postumus descriptus esse in ipso Horatii carmine, revertendum mihi esse video ad eum locum, ubi dixi, nonnullos interpretes disquirentes, num ad Postumum cognoscendum aliunde lucis aliquid afferatur, jussisse nos conferre elegiam Propertii III, 12. Quae quum a poeta, qui Horatio aequalis fuit, ad virum eodem Postumi nomine appellatum scripta sit, inde officium nobis imponitur investigandi, num, quae ibi de Postumo referuntur, ita conciliari possint cum iis, quae ex Horatii carmine de Postumo cognovimus, ut uterque poeta eodem illo Postumi nomine etiam eundem hominem significasse videatur. Id si demonstrari potuerit, etiam sperare nobis licebit, alteri carmini ab altero multum lucis allatum iri. Praeterea superiore loco (pag. 16) dixi, hanc disquisitionem de Propertiano Postumo ab illis interpretibus nondum satis accurate institutam mihi videri. Quod quo jure dixerim, exponere nondum potui propter illam institutam rationem, qua, quum quemvis scriptorem optimum sui interpretem esse censuissem, primum investigare volui, quomodo ex ipso Horatii carmine cognosci possit, qualis fuerit Postumus. Itaque ut huic quoque officio satisfaciam, proponam primum id, quod illi interpretes ad hanc rem attulerunt.

Janius, ubi in prooemio de amicis Horatii agit, haec exponit de Postumo: „Postumum illum, ad quem est carmen II, 14, Dacerius putat esse eundem cum Julio Floro, ad quem duae sunt Horatii epistolae (I, 3. et II, 2.) et elegia Propertii III, 12. Sed docte ostendit Sanadonus, quam parum id recte statuatur. Non oportet, nisi comparare inter se characteres, ut agnoscas, neque Julium Florum, neque Propertianum Postumum cum Horatiano eundem esse." In his errore quodam scriptum est illud „et elegia Propertii." Haec enim non ad Julium Florum, sed ad Postumum scripta est. Debuit igitur scribi: „et cum Postumo, ad quem scripta est elegia Propertii." Sic corrigere voluisse hunc locum videtur jam Doeringius, cum distinctius ita dicat: „Quis fuerit Postumus, vix certis argumentis evincas; nam neque Julius Florus, ad quem infra duae epistolae I, 3 et II, 2 scriptae sunt, neque ille Postumus, ad quem apud Propertium III, 12 elegia extat, idem fuisse videtur."

Mitscherlichius illud Janii ex parte tantum, igitur mancum, in suum argumentum transtulit. Nam ubi describit Postumum, in parenthesi hoc addit: „quem eundem cum Julio Floro, ad quem est Epist. 3. libri I, statuebat Dacerius, jure improbante Sanadono."

Quum vero ipsas Dacerii et Sanadoni de hac re disputationes cognoscendi opportunitas mihi non data sit: dijudicare non possum, num justis argumentis usus sit Dacerius ad illud statuendum, Sanadonus ad idem refutandum. Nihil mihi igitur relinquitur, nisi ut et nostrorum interpretum sententias recenseam, et quid ipse sentiam, breviter exponam.

Quod autem primum ad Julium Florum attinet, licet singulae res et sententiae in illis epistolis similitudinem quandam habere videantur cum iis rebus et

sententiis, quae et in Propertii elegia et in Horatii carmine II, 14 leguntur, tamen omnia caetera nimis dissimilia ac disparia sunt iis, quae de Postumo exponuntur, praesertim quum et ipsius nominis diversitas in ejusdem poetae carminibus maximam dubitationem moveat.

Eadem de causa recentiores interpretes videntur tacuisse de Julio Floro et substitisse in comparando solo Postumo Horatiano cum Propertiano.

Orellius hanc rem obiter tantum tetigit dicens: „Postumum, hominem nobis ignotum (nisi quod ad Postumum est etiam Propertii Elegia III, 12)" etc.

Dubitavit igitur aeque ac Doeringius, quin Propertianus Postumus idem vir sit, atque Horatianus. Causas autem dubitandi neuter proposuit. Quod autem Janius dicit: „Non oportet, nisi comparare inter se characteres, ut agnoscas, neque Julium Florum, neque Propertianum Postumum cum Horatiano eundem esse," id pertinet ad illud genus minus distinctae ac propterea ambiguae dictionis, ubi, si quis illa locutione „eundem esse" uti voluerit ad designandam eandem personam, imprudens ac nescius eadem simul utatur eo sensu, quo „iisdem moribus aliquem esse" dicimus. Namque sic tantum fieri potuit, ut Janius, quum Postumum Propertianum sagaciter intellexisset non iisdem moribus esse, quibus Horatianus est, ex hac ipsa morum diversitate concludendum esse putaret, non eundem hominem significari ab utroque poeta, quod per errorem conclusit, quum mutari posse mores non reputaret.

Similiter Obbarius quum e contrario demonstrare vellet, utrumque Postumum eundem esse, videtur judicasse, praeter idem nomen etiam idem avaritae vitium requiri. Sic enim rem proponit: „*Ueber den Postumus, an den Horaz diese Ode richtete, ist nichts bekannt geworden, ausser dass Properz einen gleichnamigen in III, 12 tadelt, der aus einem falschen Streben nach Ehre und Reichthum seine Gattin Aelia Galla verlassen und den Fahnen des Augustus 732 nach Griechenland und dem Orient folgen wollte* [dicendum fuit „*gefolgt war;*" quamvis enim poeta dicat v. 19: „Sed securus eas," tamen haec dicta esse potuerunt etiam ei, qui jam profectus erat; profectum autem jam fuisse Postumum, manifesto patet ex v. 1 — 4 „potuisti linquere — et sequi" et „tantine fuit gloria —, ne faceres?" item ex v. 21.]. *Nimmt man Beide für Eine Person, wie es Grotefend thut, welcher auch III, 27 die Galatea für die Gemahlin des Postumus hält, so erklären sich v. 20 — 28 besser, als durch Düntzers und Orelli's Annahme, welche wie II, 3, 17 sqq. einen allgemeinen Gedanken in diesen Versen finden wollen. Postumus war nämlich bei seinem grossen Reichthume geizig* (Prop. III, 12, 5: Si fas est, omnes pariter pereatis avari) *und der Dichter sucht ihn hier etc.*

Quod igitur apud hos omnes interpretes Horatii (nescio an etiam Propertii, quum hujus poetae sola editione Lachmanniana uti mihi licuit, in qua ad hoc carmen, quod undecimum libri IV est, nihil de Postumo exponitur) desidero, hoc est, quod diversi temporis, quo illa carmina a poetis scripta sunt, rationem non habuerunt. Quum enim manifestum sit, elegiam Propertii prius scriptam esse, quam carmen Horatianum, primum patet, non tam id respiciendum esse, quod Postumus Horatianus aliis i. e. non amplius iisdem moribus est, qnibus Propertianus fuit, quam potius id,

quod homo ejusdem nominis jam apud Propertium et adhuc apud Horatium vitiosis moribus est. Quod qui bene reputaverit, facile intelliget, tantum abesse, ut illa morum diversitate impediamur quominus concludamus, eundem hominem significari in utroque carmine, ut hac morum similitudine fortius impellamur ad id ipsum concludendum. Cui conclusioni fides accedet, si iis, quae a Propertio ut prius gesta exponuntur, ea, quae postea ab Horatio descripta legimus, non repugnare, sed potius optime convenire ac consentanea esse viderimus.

Videmus autem Postumum apud Propertium adhuc ita avarum, ut non solum belli marisque periculis se temere exponat, sed etiam uxorem, ut videtur, tenerrimae aetatis ac nuperrime in matrimonium ductam (cf. v. 17 „puella") crudeliter negligat atque imprudenter in urbe, luxuriae magistra (v. 17 — 18), certe periculis illecebrarum expositam relinquat.

Jam cogites tibi, hunc Postumum vel opprobrio illo tactum vel periculis, quibus teneram ac juvenilem uxorem exposuerit, summis permotum mox rediisse atque illos quidem mores a poeta reprehensos emendasse. Quo facto non mirum tibi videbitur, quod apud Horatium non amplius ita avarus est, ut propter nimium rem suam augendi studium se exponat maximis belli marisque periculis, sed hunc modum imposuit avaritiae, ut jam se contineat intra certos fines, et lucro ex agricultura faciendo contentus sit. Nec mirum est, quod, quem Propertius docet terque quaterque in casta Galla felicem fuisse ante discessum, ei reduci facto uxor ita placet, ut, si eam aliquando relinquendam fore audiverit, id aegre laturus esse videatur.

Sed quae esse solet hominum perversorum natura, ut, dum pauca ac minora vitia emendare student, incidant in plura ac majora, idem accidit Postumo, cujus quae nova vitia ab Horatio castiganda fuerint, supra vidimus.

Jam igitur re subtilius ac magis enucleate exposita etiam distinctius dici poterit, Horatianum Postumum non eundem quidem esse ac Propertianum, quatenus quibusdam in rebus jam alius est redditus ideoque non amplius plane idem est, qualis apud Propertium fuit; sed tamen, licet mutatus sit quod attinet ad alios mores assumptos, illo eodem Postumi nomine ab utroque poeta significari eandem personam sive eundem hominem.

Atque hoc mox magis probatum videbimus hac re, quod, licet in utroque carmine de aliis rebus ac moribus ejusdem hominis agatur, tamen uterque poeta suum carmen eodem consilio composuit, eique similem externam et internam formam poeticam induit. Jam enim Propertius formis Temporis Futuri tam multis locis (v. 8. 9. 17. 19 — 23. 38.) utitur, ut hic quoque praevaleat vaticinatio. Item jam Propertius elegiam suam potius ut poetice fictam divulgasse, quam ad ipsum Postumum tanquam amicum misisse credendus est. Nemo enim ad amicum scribet, qualia v. 5 — 6 leguntur: „Si fas est, omnes pariter pereatis avari" et v. 7 „vesane" etc. Neque Propertius ullo loco per totam elegiam Postumum allocutus est amici nomine. Itaque videtur alienior ab eo fuisse, quam Horatius, a quo certe ironico sensu Postumum amicum appellari vidimus.

Denique etiam manifestum est, jam Propertium elegiam suam aperte eo consilio scripsisse, ut castigaret Postumum pellemque ei detraheret, qui jam tum et simulatoris et dissimulatoris vitio laborabat. Simulabat enim fortitudinem ac gloriae cupiditatem, ut dissimularet avaritiam in praedae faciendae consilio conspicuam (v. 3. „spoliati gloria Parthi" et v. 5), et simulabat famae uxoris fidei parandae curam, ut dissimularet duritiem uxore crudeliter relicta proditam (v. 17 — 38).

Castigat autem Propertius Postumum eodem illo animi affectu, qui est irridentis, vexantis, turbantis, exprobrantis, cavillantis. Irridet enim primum ejus simulatam fortitudinem, quum non ipsum fortem militem appellet, sed sequi eum dicat fortia Augusti signa. Deinde exsecratur ejus avaritiam imprecaturque ei exitium, ut eum metu atque terrore percelleret. Neque aliud documentum vitae militaris belliqueperitiae ab ipso datum iri praenunciat, nisi sitim fessi militis aquam ex Araxi flumine galea haurientis extinguendam, et periculum amittendi equi aurati per ferreum cataphractum atque vitae perdendae per Medorum sagittas, quorum illud dicit cavillandi studio ductus, hoc vexandi et horrifico mortis metu eum concutiendi consilio. Tum vero eum summo pudore suffundit et maxima contumelia afficit hac re, quod quam indignus appareat optima uxore demonstrat. Duobus autem ad hanc rem demonstrandam utitur argumentis ex comparatione virtutum Aeliae Gallae cum vitiis vel saltem meritorum inopia Postumi desumptis. Primum enim duritiei, negligentiae, incuriae, quorum vitiorum culpam in se admiserat Postumus, opponit sincerrimum amorem, diligentissimam curam ac sollicitudinem, tenerrimum desiderium, quarum virtutum laude celebrat Aeliam Gallam. Denique pungit eum acerrime, ubi, quid insignibus pudicitiae, castitatis, fidei virtutibus Aeliae Gallae a Postumi parte respondeat, dicturus est.

Quae enim inde a v. 19 usque ad finem leguntur, continent ironias subtili arte poetica lepidissimas, sed Postumo acerbissimas. Tam singulari enim arte haec proposita sunt, ut Postumus primo adspectu dubius videri possit, num eadem magis dicta sint ad *ζηλοτυπίαν*, cujus stimuli paulo ante ipsius socordiae admoti erant, aliquatenus leniendam et ad securitatem quasi confirmandam, an magis ad eximiam Aeliae Gallae fidem summa ac merita laude ornandam, an denique ad Postumum felicem praedicandum, quod propter fidem, quam uxor sit ipsi probatura, redux ex bello factus hanc famae ac nominis celebritatem consecuturus sit, ut pro altero Ulixe habeatur. Sic poeta falsa spe Postumum per singulos versus ducens in ipso carminis fine demum necopinantem omnium risui exponit. Prima enim irrisio admodum latet in hac re, quod poeta, ubi uxoris fama exspectabatur his fere verbis praenunciata: „Aelia Galla propter fidem, quam tibi Postumo praestitura est, altera Penelope erit", famam potius Postumi ex uxoris fide sperandam praenunciat dicens: „Postumus alter erit miranda conjuge Ulixes." Videtur autem poeta nosse Postumi stolidam credulitatem, qua facile sibi persuasum habens, hoc vere in sui honorem dictum esse, non intellecturus sit, quae ironia lateat in illis vocibus „miranda conjuge," ubi Ablativus quem dicunt instrumenti adhibitus est ad exprimendam illam sententiam, Postumum non sua vir-

tute, sed tantummodo propter uxoris virtutem alterum Ulixem fore. Quare eum mox magis fallit ac ludificatur. Quum enim omnibus mirabilibus fatis et praeclaris factis Ulixis enarratis tandem dicat, Ulixem neque illa fata frustra sustinuisse, neque illa facta frustra edidisse, quia „casta domi persederat uxor," speciem prae se fert, quasi ex ipsius Ulixis exemplo illam famam Postumo praenunciatam tanquam necessariam ita demonstrare velit, ut dicat, eodem modo nec Postumum mirabilia fata frustra sustenturum nec praeclara facta frustra editurum esse. Sed ecce! eo, quod addit sententiam inde non exspectatam: „Vincet Penelopes Aelia Galla fidem," subito significat de Postumo esse dicenda, quae illis plane contraria sint. Quum enim Aelia Galla Penelopen vincere non possit, nisi hac re, quod, quam Penelope Ulixi multis virtutibus ornato fidem probavit, eandem Aelia Galla Postumo omnibus Ulixis virtutibus carenti probatura est, poeta tacite jubet Postumum concludere, ipsi dictum esse potius hoc: „Ex uxoris quidem fide alter Ulixes videberis, sed, quantum in te est, nihil minus eris, quam Ulixes. Ubi enim hic non frustra sustinuit mirabilia fata, nec frustra edidit fortiter facta, quia casta domi persederat uxor, ibi tu e contrario non frustra carebis et fatis illis mirabilibus et factis praeclaris; nam tua uxor nihilo minus casta permanebit." Sic igitur poeta Aeliae Gallae virtute augenda atque fama amplificanda e contrario famam Postumo antea praenunciatam ita minuit atque extenuat, ut acerrime ei omnium meritorum inopiam exprobrans famae ac nominis celebritatem promissam jam in infamiam atque ignominiam esse conversam ostendat, et superioris Hexametri sententiam invertendo emendatam ac correctam hanc esse significet: „Tu non alter eris fatis et gloria Ulixes," ita ut universi distichi sententia haec sit: „Postumus Ulixe minor erit ideoque Aelia Galla Penelope major."

Accedit autem ad similitudines, quas supra inter utrumque carmen intercedere dixi, etiam haec, quod Propertius quoque aptissimam occasionem arripuit ad malos ac perversos mores Postumi castigandos. Sine dubio enim, ubi iis, qui Augustum in bellum proficiscentem sequuti erant, primae litterae ab uxoribus vel domesticis mittebantur, curavit poeta, ut haec elegia tanquam paullo ante divulgata et quasi vota continens, quibus alias amici amicos discedentes prosequi solent, illis litteris adderetur.

Inde denique, quod fingitur Postumo cantatum carmen utrumque, conjici posse puto, fictum esse etiam ipsum nomen Postumi, praesertim quum inter nomina gentilitia vel cognomina non haec Postumi, sed Postumii forma inveniatur. Forsitan igitur ille vir revera fuit patris sui filius postumus, quo nomine postea per jocum inter familiares appellabatur. Id si sumpserimus, per repetitionem nominis in initio carminis Horatiani accedet etiam familiaritatis species sensui supra exposito aptissima.

Omnibus igitur argumentis expositis, cur nobis persuasum sit, etiam in elegia Propertii agi de eodem Postumo, de quo agitur in carmine Horatiano, jam lubet omnia breviter ita complecti, ut dicamus, videri nobis propositas duas ejusdem Postumi quasi imagines a duobus poetis vario tempore depictas, quarum lineamenta quidem

tam similia sint, ut nemo dubitari possit, quin idem homo in utraque tabula depictus sit, sed ut diversitates in fronte, oculorum obtutu, oris et vultus habitu atque colore expressae aperte doceant, qua alia facie idem homo fuerit alio tempore.

Qua quidem carminum comparatione cum picturis facta deducor ad id quoque inquirendum, num hi pictores sua sponte, an alio vel monitore vel cupiente imaginem pinxisse videantur. Nec mihi displicet, si quis ex ea indole elegiae Propertianae, qua maxime Aeliae Gallae sollicitudines, curae, desideria, fides denique omni asseveratione Postumo affirmata expressa sunt, conjicere velit, Propertium elegiam suam composuisse, ut uxori id cupienti gratificaretur, idque eo consilio, ut Postumus fortius permoveretur ad reditum. Sic ferimur et ad causam quasi primam atque etiam magis remotam, quam quae occasio est, et ad extremum poetae consilium, unde tandem simul dilucidius cognoscitur, cur hic poeta mollius et flebilius genus elegiacum elegerit.

Ex indole autem carminis Horatiani, cui gravius atque acerbius genus lyricum, quo poeta usus est, maxime videtur accommodatum, conjiciemus, ab iis amicis, qui aegre ferebant mores perversos Postumi non solum avari ac sordidi, sed etiam summis ac divitibus viris importunius ac molestius se offerentis, excitatum esse poetam ad Postumum ideo castigandum, ut intelligeret, suas simulationes ac dissimulationes caeteris satis cognitas esse.

Atque hic tandem locus est, ubi facile concedam, Horatium certe ex toto carmine vere hoc concludendum reliquisse Postumo, vel potius eum tacite coegisse, ut sibi cogitet, poetam vel monuisse illud: „Nosce te ipsum," vel docuisse, quomodo castigari mereatur homo malorum ac perversorum morum, vel hoc dixisse: Nisi mox iterum pariter, vel proxima occasione etiam acerbius castigari volueris, emenda atque corrige vitia tua. Sin aliis loci communes ita placent, ut nunquam non illud „Fabula docet" adesse velint, quid obstat, quominus hi existiment, omnibus proponi hoc vitae praeceptum: „Qui sic castigari nolit, ne sit talis, qualis Postumus fuit."